



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VII. Quintum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

deprehendes. Quod miror Masium virum doctum non vidisse, aut visum non probasse, cum in libris Mosis idem factum confessus sit. Simili modo intrusos in caput vicissimum primum versus duos reperies, quos vetusta Ebraeorum exemplaria non agnoscunt; teste R. Davide Kimchi. Infarta quoque videtur clausula, quæ decimo quinto capite libri Josuæ, commate decimo quarto, & sequentibus quinque continetur, nam quicquid illic de Calebo, & extinctis ab eo tribus Enaci filiis, & de Dabira ab Othoniele expugnata, & nuptum ei data Axa Calebi filia, & addita doti Dabira urbe, cum fundis irriguis, videntur post mortem Josuæ contigisse, ut colligitur ex primo libri Judicum capite. Agnovit id Theodoretus, & ut libros Josuæ & Judicum conciliaret, prophetice illic prænuntiatam rem dixit, hic vero eventu comprobata. Mas. Pref. in Jos. Jos. 11. 35. 36.

Quin & Adonisedecum regem Hierosolymæ, cujus infelix prælium, fuga, & supplicium capite decimo libri Josuæ describuntur, eundem esse censuit ac Adonibezecum, Bezecæ regem, cujus item primo libri Judicum capite adversa pugna, fuga, & interitus narrantur: atque illic rem itidem prædictam, hic fuisse completam. Quod non ita est: nam illi Adonisedeco, huic Adonibezeco nomen fuit: ille Hierosolymæ rex fuit, hic Bezecæ, cujus situm describunt Eusebius & Hieronymus in Libro De locis Ebraicis: ille Gabaone victus est, hic Bezecæ: ille ferro confossus, de stipite suspensus, Macedæ sepultus est; hic truncatis manibus & pedibus, Hierosolymam adductus, ibi demum occubuit. Tam parum autem sibi constat hoc loco Theodoretus, ut quamvis in Josuæ libro res fuisse prædictas notaverit, quæ in priore libri Judicum capite gestæ narrantur, tamen prius illud caput *ἀνακαταστάσιν* esse pronuntiet rerum sub Josua actarum. Sed revertamur ad Calebum, Othonielem, & Axam, de quibus quicquid narratur hoc loco Libri Judicum, putat Grotius esse *ἐπιπέδον* ad ea quæ vivo Josua gesta fuerant: sed prorsus repugnat orationis series hoc capite. Nam primum ait: *Post mortem Josue consuluerunt filii Israël Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananeum, & erit dux belli? dixitque Dominus, Judas ascendet. Et mox: Ascenditque Judas, & tradidit Dominus Chananeum ac Perezum in manus eorum. Tum deinde: Et postea descendentes pugnauerunt contra Chananeum qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campesribus. Pergensque Judas contra Chananeum qui habitabat in Hebron, percussit Sefai, & Abiman, & Tholmai: atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir. Et continuo: Dixitque Caleb: Qui percussit Carjath-Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Vides hæc ita connexa & colligata, tum verbis, tum rebus ipsis, ut ab ipso initio continuata serie manifesto profecta sint. Atqui initium illud est: *Post mortem Josue*: unde efficitur post Josuæ mortem evenisse, quæ his subnexa sunt. At hæc eadem, quæ de Calebo, Othoniele, & Axa in decimo quinto capite libri Josuæ referuntur, plane illuc videntur intrusa: nam cum tribus Judæ sortem describat *καταστάσεις*, postquam ad Calebi portionem ventum est, adjiciendum putavit Esdras ad pleniorum rei expositionem, quæ in libro Judicum de trium Enaci filiorum interitu, de Othoniele & Axa habebantur. Atque ea sunt hujusmodi, ut inde seclusa, integrum & coherentem orationis contextum relinquunt. Porro quæ illic describitur fors Judæ, ut & aliæ fortes, non statim ut singulis tribubus assignatæ sunt à Josua, in earum ditionem continuo cesserunt: nondum enim edomita fuerat penitus & subacta Chanaanitis regio; sed potius ex hac divisione intelligebat unaquæque tribus, quæ sibi deinceps regio armis adorienda esset & expugnanda. Quod tamen pro virili non egerunt, dum paratam illis victoriam præstabat Deus. Quomobrem remollescentibus quiete & luxu animis, nec deinde hostes excindere potuerunt, cum maxime vellent, id permittente Deo, *ut in eis erudiret Israël.* Ab ea opinione non recedunt Ebraei Doctores. Videtur autem libri Judicum Scriptor horum bellorum privatim à singulis gestorum summarium in prius caput coniecisse, quamquam & in sequentibus plurima habentur generis ejusdem. Liquet etiam ex iis quæ ad calcem capitis decimi sexti in Septuaginta Senum interpretatione leguntur, nec in Ebraico exemplari usquam extant, adventitia quedam & extranea in Libro hoc reperiri. Theod. Interit. 1. in Jud. Judic. 1. 1. 2. Jud. 1. 4. Jud. 1. 9. 10. Jud. 1. 12. Jos. 3. 11.*

VII. Quod famæ suæ celebritatem jactat Josue sexto capite, & accuratam Mo-faicis legibus obtemperacionem aliis locis prædicat, indignum ipsius modestia censet Philosophus Theologo-Politicus; proindeque alteri adscribendum hunc Librum arbitratur. Idem jam supra objectum adversus libros Mosis argumentum refellimus; ex quo pari jure concludi potest Pauli Epistolas aliquot, Pauli non esse, quod in iis pietatem suam & benefacta, ac eximias dotes Paulus commemoret; & Cæsaris Commentarios, Cæsaris non esse, quod in iis Cæsaris virtutes & præclara facinora celebrentur. Quintum argumentum. Jos. 6. 27. Jos. 8. 31. & 11. 15.

VIII. Quod postremo capite obitus Josuæ, & res post ejus obitum gestæ nar- Sextum ar-